

8.45.25

*Idem AA. et CC. Saturninae.*

Si tibi liberam Saturninus condicionem eius ignorans distraxit ac nunc eam defendit in libertatem, hac libera pronuntiata venditorem vel ex stipulatione duplae, quantum in hanc deductum est, vel empti actione quanti tua interest convenire potes.

*S. id. Febr. CC. consss.*

[a. 294]

8.45.26

*Idem AA. et CC. Neoni.*

Si quis tibi servum vendidit, postquam is rebus humanis exemptus est, cum evictionis periculum finitum sit, a te conveniri non potest.

*S. II k. April. Sirmi CC. consss.*

[a. 294]

8.45.27

*Idem AA et CC. Theophilo.*

Si fundum sciens alienum vel obligatum comparavit Athenocles nec quicquam de evictione convenit, quod eo nomine edit, contra iuris poscit rationem. Nam si ignorans, desiderio tuo iuris forma negantis hoc reddi refragatur.

*S. XVII k. Oct. CC. consss.*

[a. 294]

8.45.28

*Idem AA. et CC. Maximiano.*

Emptori etiam vendoris iura prodesse non ambigitur, si igitur vobis propter rei proprietatem mota fuerit quaestio, tam propriis quam vendoris defensionibus uti poteritis.

*S. III non. Oct. Scuppis CC. consss.*

[a. 294]

8.45.29

*Idem AA et CC. Rheso.*

Si permutationis gratia praedia curatoribus quondam fratris tui mater tua dedit, his, quae in eorum vicem accepit, posteaquam ad defensionem fuerit denuntiatum, vel cum eorum non haberet facultatem, evictis quanti interest, eos conveniri posse rationis est.

*S. VII id. Dec. Nicomediae CC. consss.*

[a. 294]